



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 65. Joannes Baptista Altierius Cardinalis hoc anno defunctus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

in pectore, ut vocabant, reservaverat, **Sæc. XVII.**
 horum primus erat Laurentius ex il- **A. C. 1654.**
 lustrissima Imperialium Familia ortus,
 qui primo Romanæ Urbis Gubernator,
 hoc anno demum Cardinalis renuntia-
 batur. Alter erat Gisbertus Borromæus,
 quem Innocentius Papa Cardinalem
 titulo SS. Joannis & Pauli honorabat.
 Præter hos eadem die idem Pontifex
 septem alios de novo creavit Cardina-
 les, & quidem primo Joannem Bapti-
 stam de Spada. II. Prosperum Caffa-
 rellum Presbyterum Cardinalem titulo
 S. Calisti. III. Franciscum Albicium
 itidem Presbyterum Cardinalem tit.
 S. Mariæ in Via. IV. Octavium Aqua-
 vivam Presbyterum Cardinalem tit. S.
 Bartholomæi in Insula postea S. Cæci-
 liæ. V. Carolum Pium de Sabaudia
 Cardinalem Diaconum S. Mariæ in Do-
 minica. VI. Carolum Gualterium Car-
 dinalem Diaconum tit. S. Pancratii.
 VII. Decium Azzolinum Diaconia Car-
 dinalitia tit. S. Hadriani decoratum.

§. LXV.

*Joannes Baptista Alterius Cardina-
 lis hoc anno defunctus.*

Ex Purpuratis hoc anno denatis non- *Ciacon. in*
 nisi unicum reperimus. Is erat Joan- *vita Ur-*
 nes Baptista Alterius patria Romanus, *bani VII.*
 N 4 qui

Sæc. XVII. qui utriusque Jurisprudentiæ laurea decoratus vix expleto vigesimo quarto ætatis suæ anno publicis Theologiæ disputationibus, ac Concionibus in præcipuis Urbis Ecclesiis habitis sese oppido celebrem reddiderat, demum vero ab Urbano VIII. Papa æquo benemeritorum remuneratore Ecclesiam Camerinensem obtinuit, variisque Ecclesiæ officiis præpositus, tandem ab eodem Pontifice sacra Purpura cohortatus est. Postquam vero Camerinem relicta, Tudertinam Ecclesiam regendam susceperat, atque ex ea hoc anno ad invisenda SS. Apostolorum limina Romam contenderat, in civitate Narniensi die vigesima quinta Novembris apoplexia tactus, anno ætatis suæ sexagesimo sexto ibidem decessit.

§. LXVI.

Quædam Constitutiones Pontificiæ hoc anno emanatæ.

Bull. magn. Innocentii X. Const. 55. Vid. supra §. 10. Ante biennium Innocentius X. Papa quosdam parvos Religiosorum Conventus suppresserat, iisque ad statum sæcularem reductis eorum bona ad alias pias causas applicaverat, cum autem hi Conventus ob rationabiles causas in pristinum regularem Statum restituti suis Ordinibus denuo concessi fuissent, Pontifex